



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 75. Condæus Princeps Ambasiam ad Regis aulam delatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

missis undique literis rei gestæ seriem exponerent, ut Calvinistæ eorum fidem adeo non suspectam haberent, quin potius illos majori adhuc veneratione colerent. Insuper hac agendi ratione Colinio duplex accrescebat commodum; primo enim, quamvis edictum sectæ profitendæ libertatem non concederet, ad id nihilominus collimare videbatur, eoquod unacum indulta præteritorum venia insuper præciperet, ut ab omni ferme inquisitione in reos cessaretur: dein ipsum hoc edictum ad hoc non parum conducere existimabat Colinius, ut Rex conjurationis famam neglectui haberet; illam enim nondum fuisse detectam credebat, & sperabat etiam, quod, si forte Rex in obscuram illius notitiam veniret, hujus tamen edicti securitate sopitus, spretis ejusmodi rumoribus sibi præcavere neglecturus esset: interea hoc Regis edictum ad Senatum mittebatur, atque ad Procuratoris Generalis preces die quarta Martii ad acta relatum est.

§. LXXV.

Condæus Princeps Ambasiam ad Regis aulam delatus.

Nihilominus Guisii Principes, ut hanc conjurationem dissiparent, nullum non movebant lapidem, ac præprimis

B b 2

Re-

Sæcul. XVI. A.C.1559. Regem, ambasque Reginas Ambafiam, quod oppidum magis, quam Blesas erat munitum, validaque arce firmatum, deduci curabant, moxque missis ubique per Provincias Viris, qui delectus haberent, & nobiles ad arma capeffenda hortarentur, insuper Guisius Dux septingentos, aut ferme octingentos Nobiles, veteranos Belliduces ad sua studia pertrahebat, & tam arcto vinculo sibi eos partim pollicitationibus, partim præmiis obstringebat, ut ad ejus jussa una omnes ad Ambasiæ fines contenderent, & loca situ magis opportuna obsiderent, dato eis negotio, ut quoscunque ex conjuratis, quos ad declinandam suspicionem nonnisi sensim, ac cum exiguis copiis aggressuros præviderant, nulla mora trucidarent. Hæc dum ita disponuntur, interea Condæus Princeps, prout sibi foedere junctis promiserat, Ambafiam venit, conjuratis animum additurus, cum vero remissius exciperetur, exinde conjurationem esse detectam intelligens jamjam reditum parabat, ignominia tamen calumniam verebatur ab iis, qui eidem exproba- rent, quod per summam ignaviam illos deseruisset, qui tamen in ejus obsequium adeo generose vitam suam summo discrimini exposuerunt.